legitimam innitiando. Dat. Avinion. vj. Non. Marcij anno decimo.

Delxxxvbin. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Salutem etc. Splendor paterne glorie qui sua mundum
illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc
precipue benigno favore prosequitur cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes
igitur ut ecclesia monasterii Sororum sancte Clare de Lotech ordinis eiusdem sancte congruis honoribus frequentetur et ut Christi fideles
eo libentius causa devotionis ad ipsum confluant quo ibidem uberiori dono celestis gratie conspexerint se re-
fectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere peni-
tentibus et confessis qui in Nativitatis domini nostri Ihesu Christi Epiphanie Resurrectionis domini Penthecostes in
quatuor principalibus beate Marie virginis in duodecim apostolorum et in eiusdem sancte Clare ac in sanctorum sub quorum
vocabulo altaria sita in ecclesia predicta sunt fundata festivitatibus ac solempnitate omnium sanctorum monasterii ipsius de-
vote visitaverint annuatim unum annum et unam quadragenam singulis videlicet ipsorum festivitatum ac solem-
nitatis diebus quibus ecclesiam predictam visitaverint ut prefertur de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus.
Dat. Avinion. iij. Id. Julij anno decimo.